

*dignius in ipsorum vestigiis inveniri in Regno DEI, ut Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Esaia, & aliorum Prophetarum, item ut Petri, & aliorum Apostolorum, qui in consuetudine conjugali vixerunt.*

§. 30.

Quod si exempla piorum Episcoporum requirantur; Hilarius celebris Ecclesiae Pictaviensis in Galliâ Episcopus conjugatus fuit, ut ex ipsius ad Apram filiam missa Epistola colligitur: & testis est Mantuanus Poëta Pontificius, cujus hi versus sunt.

*Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor.*

*Legitimo conjuncta thoro: non horruit illâ*

*Tempestate DEUS, thalamos, cunabula, tædas.*

Idem legimus etiam in historiis de Basilii & Nazianzeni Patribus de Nisseno fratre Basilii, de Spiridione, de quo illud confirmat historia, cum uxorem & liberos haberet, non tamen propterea fuisse in divinarum rerum exercitatione aliis deteriorem. *Sozom. lib. 1. cap. 11.* Nazianzenus vero etiam in laude hoc ponit, quod Pater suus in ipso Episcopatu uxoratus fuerit; de quo & Mantuanus inquit:

*Præsule Patre satius, nam tunc id jura sinebant*

*Pastorale pedum gessit post funera patris.*

Et de Nisseno Episcopo fratre Basilii M. scribit Nicephorus *l. 1. c. 19.* *Quamvis is Episcopus Conjugem haberet, tamen rebus aliis fratri minimè cessit.*

§. 31.

Multa denique & ferè innumera testimonia & exempla adduci possent, quæ ostendunt contractionem matrimonii esse antiquissimam; hanc legem verò de Cœlibatu, quæ à Pontificiis hodie defenditur, admodum recentem esse; sed ne prolixiores,

xiores,